



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

21 Vtrum corpus gloriosam possit esse cum alio corpore in eodem loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

non peccat mortaliter. Beatus vero Benedictus statuit monachum profiteri non quidem observare regulam, sed quod proficiens promittit conversionem morum suorum secundum regulam, hoc est dictum, ut secundum regulam dirigat mores suos. contra quod facit si vel ea quae sunt praecipua in regula, transgrediatur, vel etiam contemnat regulam, secundum eam dirigere actus suos omnino recusans, non autem omnia quae in regula continentur sunt praecipua: quaedam enim sunt monitiones siue consilia, quaedam vero ordinationes siue statuta quaedam, ut quod post Completorium nemo loquatur. Huiusmodi autem statuta quae in regula continentur, non habent vim praecipui, sicut nec praelatus statuens aliquid, intendit semper ad peccatum mortale obligare per praecipuum. Est autem praelatus quasi quaedam regula aia: unde stultum esset putare, quod monachus frangens silentium post Completorium peccaret mortaliter, nisi forte faceret hoc contra praecipuum praelati, vel ex contemptu regulae. Abstineret autem a carnibus non ponitur in regula beati Benedicti ut praecipuum, sed ut statutum quoddam. Unde monachus comedens carnes non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobedientiam, vel contemptum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod pena illa intelligitur monacho contumaciter inobediens carnes comedenti.

AD SECUNDUM dicendum, quod comedere carnes non est contrarium monachi, nisi quando comederet ex inobedientia, vel ex contemptu. Quod vero in contrarium obijciunt, efficaciam non habet: procedit enim de his quae sunt secundum se mala sicut homicidium, adulterium, & huiusmodi quae sunt omnibus illicita tam sanis quam infirmis. Non autem procedit de his quae sunt mala, quia prohibita, aliquid enim potest prohiberi sano, quod non prohibetur infirmo.

QVAESTIO X.

DEINDE circa bonum gloriae quaerebatur de duobus corporibus gloriosis.

- ¶ Primo, Vtrum corpus gloriosum naturaliter possit esse cum alio corpore non glorioso in eodem loco.
- ¶ Secundo, Vtrum hoc fieri possit miraculo.

ARTICVLVS XXI.

Vtrum corpus gloriosum possit esse cum alio corpore in eodem loco.

Ar. 22. 4. dist. 45. q. 2. ar. 2. q. 2. 0. 3. q. 4. in.

AD PRIMUM sic proceditur. Vtrum corpus gloriosum naturaliter possit esse cum alio corpore in eodem loco. Si non prohibetur esse cum alio corpore in eodem loco, aut est propter grossitatem siue corpulentiam, aut propter dimensiones: sed non propter grossitatem seu corpulentiam, quia corpus gloriosum erit spirituale secundum Apostolum. 1. ad Corin. 15. Similiter nec propter dimensiones, quia cum aegentia sint quorum ultima sunt simul, necesse est quod punctum unius corporis naturalis sit simul cum puncto alterius, & linea cum linea, & superficies cum superficie: pari ergo ratione, & corpus cum corpore. Non ergo prohibetur corpus gloriosum quin naturaliter possint esse simul cum alio corpore in eodem loco.

Tex. con. 82.

¶ Prat. Commentator dicit in 8. phy. quod partes aeris & aquae partim subintrant se invicem propter hoc quod partim sunt naturae spirituales, sed corpora gloriosa omnino erunt spiritualia, ut iam dictum est.

ergo totaliter poterunt subintrare alia corpora, & similiter esse cum eis.

SED CONTRA. Glorificatio non tollit naturam: sed corpus humanum non potest naturaliter esse simul cum alio corpore in eodem loco in statu isto. ergo neque postquam erit glorificatum.

RESPON. Dicendum, quod manifestum est, quod corpus humanum in statu isto non potest esse cum alio corpore in eodem loco. Si ergo corpus gloriosum naturaliter possit esse cum alio corpore in eodem loco propter aliquam proprietatem inditam, illa proprietate auferret hoc propter quod corpus humanum in statu isto prohibetur esse cum alio corpore in eodem loco. Est ergo considerandum quid sit huiusmodi prohibens. Dicunt autem quidam hoc esse grossitatem, vel corpulentiam quaedam quae tollitur per dotem gloriae, quam nominant subtilitatem. Sed hoc non est intelligibile, non enim invenitur quid sit huiusmodi corpulenta, vel grossities: non enim est aliqua qualitas, quia nulla qualitas dari potest, quae quidem remota corpus possit esse cum alio corpore in eodem loco. Similiter nec potest esse forma, nec materia quae sunt partes essentiae, quia tunc integra essentia corporis humani non remaneret cum gloria, quod est haereticum.

Et ideo dicendum est, quod hoc prohibens nihil est aliud quam dimensiones, quibus substat materia corporalis: necesse est enim ut id quod est per se sit causa in unoquoque genere. Distinctio autem finis situm primo & per se connitit quantitati dimensionum, quae definitur esse quantitas positionis habes. Unde & partes in subiecto ex hoc ipso distinctionem habent finis situm, quod sunt subiectae dimensionum, & sicut est distinctio diversarum partium unius corporis finis diversae partes unius loci per dimensiones, ita propter dimensiones diversae corpora distinguuntur secundum diversa loca. Duo enim corpora facit actualis divisio materiae corporalis. Duae autem partes unius corporis distinctio potestatis, unde & Philoso. dicit in 4. Physico. quod sicut subintrante cubo ligneo aquam, vel aerem oportet quod cedat tantum de aqua, vel aere: ita oportet quod cedant dimensiones separatae, si vacuum ponerentur. Cum ergo gloria non tollat dimensiones corporis, dico quod corpus gloriosum non potest naturaliter esse cum alio corpore in eodem loco propter aliquam proprietatem inditam.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod sicut dictum est, corpus humanum in statu isto prohibetur esse cum alio corpore in eodem loco non propter corpulentiam, aut grossitatem quae per gloriam tollatur, (spiritualitatem enim Apostolus opponit animalitati, secundum quam corpus est animalia indigens, ut Augustinus dicit, non autem opponit grossitatem, vel corpulentiam) sed impeditur propter dimensiones. Ratio vero quae in contrarium obijciunt, ponitur inter sophisticas rationes a philosopho, in quarto physicorum. Puncto enim & linea, & superficies non debetur locus, sed corpori: unde non sequitur, si termini corporum se tangentium sunt simul, quod propter hoc plura corpora possint esse in eodem loco.

AD SECUNDUM dicendum, quod sicut dictum est, commentator exprimit, subintratio illa fit per condensationem, & dicuntur habere spiritualem virtutem propter raritatem. Estet autem erroneum dicere hoc modo, quod sint aeri ventis que similia, ut patet per Gregorium decimum nono Moralium.